Et cum esset in galilea sequebantur eum et ministrabant ei. et alie multe que simul cum eo ascenderant ierosolimam. Et cum iam sero esset factum quia erat parasceve quod est ante sabbatum venit ioseph ab arimathia nobilis decurio qui et ipse erat expectans regnum dei. et audacter introivit ad pilatum et petiit corpus ihesu. Pilatus autem mirabatur si iam obisset. et accersito centurione interrogavit eum si iam mortuus fuisset. Et cum cognovisset a centurione donavit corpus ioseph. Ioseph autem mercatus sindonem et deponens eum involvit in sindone et posuit in monumento quod erat excisum in petra. et advolvit lapidem ad hostium monumenti. Maria autem magdalene et maria ioseph aspiciebant ubi poneretur.

XVI

Et cum transisset sabbatum maria magdalene et maria iacobi et salome emerunt aromata ut venientes ungerent ihesum. Et valde mane una sabbatorum veniunt ad monumentum orto iam sole. Et dicebant ad invicem. Quis revolvet nobis lapidem ab hostio monumenti? Et respicientes viderunt revolutum lapidem. erat quippe magnus valde. Et introeuntes in monumentum viderunt iuvenem sedentem in dextris coopertum stola candida et obstupuerunt. Qui dicit illis. Nolite expavescere. Ihesum queritis nazarenum crucifixum. surrexit non est hic. Ecce locus ubi posuerunt eum. Sed ite dicite discipulis eius et petro quia precedet vos in galileam. ibi eum videbitis sicut dixit vobis. Et ille exeuntes fugerunt de monumento. Invaserat enim eas tremor et pavor. et nemini quicquam dixerunt. Timebant enim. Surgens autem mane prima sabbati apparuit primo marie magdalene de qua eiecerat septem demonia. Illa vadens nuntiavit hiis qui cum eo fuerant lugentibus et flentibus. Et illi audientes quia viveret et visus esset ab ea non crediderunt. Post hec autem duobus ex eis ambulantibus apparuit in alia effigie euntibus in villam. Et illi euntes nuntiaverunt ceteris. nec illis crediderunt. Novissime autem recumbentibus illis .xi. apparuit illis. Et exprobravit incredulitatem eorum et duritiam cordis. quia hiis qui viderant eum resurrexisse a mortuis non crediderunt. Et dixit eis. euntes in mundum universum predicate evangelium omni creature. Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit. Qui vero non crediderit condempnabitur. Signa autem eos qui crediderint hec sequentur. In nomine meo demonia eicient linguis loquentur novis serpentes tollent. Et si mortiferum quid biberint non eis nocebit. Super egros manus inponent et bene habebunt. Et dominus quidem ihesus postquam locutus est eis assumptus est in celum et sedet a dextris dei. Illi autem profecti predicaverunt ubique. domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis. Explicit evangelium secundum marchum.

Lucas natione syrus et antiochensis arte medicus. discipulus apostolorum. postea paulum secutus usque ad confessionem eius. serviens domino fuit sine crimine. Nam neque uxorem umquam habuit neque filios. lxxiiii. annorum obiit in bythinia plenus spiritu sancto. Qui cum iam descripta essent evangelia per matheum quidem in iudea per marchum autem in italia: sancto instigante spiritu: in achaie partibus hoc scripsit evangelium. Significans etiam ipse in principio ante alia esse descripta. Cui extra ea que ordo evangelice dispositionis exposcit. ea maxime necessitas laboris fuit. ut primum grecis fidelibus omni prophetatione venturi in carnem dei christi manifestata humanitate. ne iudaicis fabulis attenti in solo legis desiderio tenerentur. vel ne hereticis fabulis et stultis sollicitationibus seducti: exciderent a veritate elaboraret. Dehinc ut in principio evangelii iohannis nativitate presumpta: cui evangelium scriberet et in quo electus scriberet indicaret. contestans in se completa esse: que ab aliis essent inchoata. Cui ideo post baptismum filii dei a perfectione generationis in christo implete et repetende a principio nativitatis humane potestas permissa est. ut requirentibus demonstraret in quo apprehendens erat per nathan filium introitu recurrentis in deum generationis admisso. indisparabilis dei. ut predicans in hominibus christum suum opus perfecti hominis redire in se per filium faceret. qui per david patrem venientibus iter prebebat in christo. Cui luce non inmerito et scribendorum actuum apostolorum potestas in ministerio datur. ut deo in deum pleno et filio proditionis extincto: oratione ab apostolis facta: sorte domini electionis numerus compleretur. Sicque paulus consummationem apostolicis actibus daret. quem diu contra stimulum recalcitrantem dominus elegisset. Quod legentibus ac requirentibus deum et si per singula expediri a nobis utile fuerat. sciens quod operantem agricolam oporteat primum de fructibus suis edere. vitavimus publicam curiositatem. ne non tam volentibus deum demonstrare videremur: quam fastidientibus prodidisse. Explicit prologus.

Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationem que in nobis complete sunt rerum. sicut tradiderunt nobis qui ab initio ipsi viderunt et ministri fuerunt sermonis. visum est et mihi assecuto a principio omnia diligenter ex ordine tibi scribere optime theophile ut cognoscas eo-